

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Exordium

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

In die festo Matthiæ Apostoli.

Evangelium, Matth. II. v. 25. -- 30.

EXORDIUM.

DE præpotente Rege Ahasvero refertur, quod nemini, non vocato interius atrium Regis intrare licuerit, quin statim juxta statutum interfectus fuerit; nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit, pro signo clementiæ, Esther, 4. v. II.

Nos quoque Regem habemus, & quidem multo potentiorum Ahasvero: cælum enim sedes ejus, terra autem scabellum pedum suorum, Esa. 66. v. 1. *Sed adeo inhumanus non est erga subditos suos*: verum nihil magis optat, quam ut omnes accederent, & beneficiorum suorum participes evaderent, quos proinde porrectis manibus expectat. Est enim verum *φιλόψυχος*, Sap. 12. v. 1. Et sicut in mundum venit querere & salvum facere, quod perierat, Luc. 19, 20. ita etiam in eo summam voluptatem capit, quando plurimos ad se venire videt, & gratiam accipere, quam in verbo & sacramentis reposuit, ideo ait: qui venit ad me, non ejiciam foras; Joh. 6, 37.

Exemplum habemus in prælecto Evangelio, ubi omnes laborantes & oneratos ad se vocat, clementer promittens, sed refecturum illo esse: Et quamvis non omnes accedant, sed plurimi ex sapientibus hujus seculi benevolam hanc ejus invitationem susque deque habeant, & libentius ad domum convivii eant, Eccles. 7. v. 3. aut ad negotiationem suam, Matth. 22. v. 7. attamen gratias agit patri suo cœlesti pro parvulis, i. e.

simplicibus, quod illos illuminatos, ad agnitionem veritatis pervenire voluerit. *Vnus enim justus majoris aestimatur in oculis Dei, quam mille impii* quod exemplo Sodomæ & Gomorrhæ patet, quibus Deus pepercisset, si modo decem ibi justi inventi fuissent, Gen. 18. v. 34.

Hoc Evangelium pii Veteres, in diem Matthiæ explicandum in Ecclesia ordinarunt, qui loco Judæ, forte ad Apostolatam electus est, ut constat ex Act. 1, 23. Aliis in locis mentionem ejus non factam legimus, plurimi eum in Judæa jussu summi Pontificis interfectum autumant. Hoc certissimum est, quod morte & sanguine suo, ad exemplum reliquorum Apostolorum, Evangelicam veritatem conformaverit, & quasi ob signaverit, juxta Christi prædictionem, Joh. 16, 12.

Nos sine ulteriori ambage ad ipsam Evangelii tractationem nos conferemus, & nodaturi:

- I. *Ἀπολογία*, sive *notitiam nostri*.
- II. *Ἐπίλογος*, sive *notitiam Christi*.

J. J.

Exegetis.

PAtriarcha Abrahamus, filium suum Isaacum in honorem Dei, in Moriamonte